



**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Uniuersus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Disputatio I. Seu Prooemialis. De iis quæ ad octo horum librorum
explicationem præmitti solent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

DISPUTATIONES PHYSICÆ

AUCTORE

R. P. THOMA COMPTONO,

E SOCIETATE JESU.

PRO O E M I U M.



*V*lâ per implexos Dialecticæ calles laboriosâ exactâ & difficili, ad amœnos tandem Philosophiæ campos. Fortunatasq; ut ita dicam, naturæ insulas peruenimus, præta haud paulò ijs jucundiora, quæ proximè à tergo reliquimus, spinis undique, ut vidimus, ac vepribus circumseptâ. In his proinde eò libentiùs, majoreq; cum voluptate spatiabitur animus, quò diutiùs in scabrosis illis asperisq; locis detentus, ac veluti labyrinthis implicatus, huc dudum aspirabat, ubi nihil ad oblectamentum animi, verasq; mentis delicias desideratur. Hic nimirum consonam illam rerum omnium harmoniam cernimus, causarum inter se ad uniuersi fabricam consensionem, accidentium ad substantias, passionum ac proprietatum ad essentias, partium ad totum subordinatiõnem: quæ jucundâ quadam varietate defixos in se detinent intuentium animos, rapiuntq; in amorem sui: imò per ramos ad radicem, per rivulos ad fontem; per effectus ad rerum omnium auctorem ac opificem mens confurgit, & uniuersi hujus conditoris, ex ijs, quæ mundo inprimit, sui vestigijs, maiestatem, magnitudinem, potentiam, reliquasq; perfectiones inuestigat. Est ergo humanarum diuinarumq; rerum indagatrix Philosophia, quæ ita hominis animum humi iacentem erigit, optimisq; disciplinis, ac veluti quibusdam è calo derivatis igniculis imbuit, ut tum demum spirare homines censerentur, dum auram primò Philosophicam ducerent. Sed nunc ad rem ipsam accedamus.

Tum demum spirare homines censerentur, dum auram primò philosophicam ducerent.

DISPUTATIO PRIMA.

SEU

PRO O E M I A L I S.

De ijs quæ ad octo horum librorum explicationem præmitti solent.

SECTIO I.

Quodnam sit Objectum hujus scientiæ.

Philosophiam latissimè sumptam cum principe suo Zenone diuiserunt Stoici in *Rationalem*, quæ eadem est cum Dialecticâ; *Moralem* seu *Ethicam*, quæ ad mores spectat; & *Naturalem* seu *physicam*, cujus hæc objectum inquirimus.

Triples Philosophiæ diuisio.

Dico primò: subjectum adæquatam *Aggregatiõnis*

S

I. Quid sit Philosophia.



Definitio Philosophiæ ab Aristotele desumpta, & à S. Augustino probata ac laudata, est, *Philosophia est humanarum diuinarumq; rerum cognitio: humanarum*, id est earum rerum quæ ex materiali concretionem coalescunt, ut quæ sub *Physicam* cadunt, & *diuinarum*, id est earum quæ supra omnem materialem concretionem sunt. De prioribus nobis hæc potissimum erit sermo.

R. P. Th. Comptoni Philosophiæ.

Subiectum aggregatio- nis Physica est corpus naturale cum omni- bus ad il- lud spectan- tibus.

nis Physicæ est corpus naturale cum omnibus suis proprietatibus, actionibus, causis horumque con- trarijs, & reliquis ad illius cognitionem quoquo modo spectantibus, qualia sunt locus, tempus, va- cuum, & reliqua ad naturalem rerum productionem necessaria, illamve impediencia, uno verbo, *Ens phy- sicum*. Quod de contrarijs dixi, notandum, *contrario- rum contrariam*, ut ajunt, *vel eandem esse rationem*: unde per se loquendo, ad eandem scientiam spectat tractare de utrisque: sic quia homo ut infirmus spectat ad medicinam, eadem similiter illum etiam considerat ut sanitatem jam utentem.

III. Subiectum Attributionis est corpus naturale completum.

Dico secundò: subiectum Attributionis Physicæ, seu octo horum librorum est solum *corpus naturale* completum in communi, constans ex materiâ & forma. Ratio est, quia subiectum Attributionis cu- jusque scientiæ, ut dixi d. 2. Log. s. l. illud est, de quo per se in illâ scientiâ agit, & ad quod cætera re- feruntur omnia, de quibus in illâ scientiâ tractatur, sed hoc in Physicâ est corpus naturale, ergo. Minor probatur, de materiâ, formâ & unione, ut de parti- bus agit ad illius constitutionem necessarijs, de quantitate, motu, ubicationibus & alijs, ut de pro- prietatibus illius & passionibus, sicque omnia tan- dem ad illud ut ad objectû primarium referuntur.

IV. Angeli se- cundariò tantum spectant ad Physicam.

Dices, Angelos spectare ad hunc tractatum, qui tamen non constant materiâ & formâ, ergo. Nego majorem, ea enim sola ad hunc tractatum spectant, quorum principia tradit Aristoteles, nempe mate- ria, forma & privatio, sed hæc principia non com- petunt Angelis, ut constat, ergo. De Angelis ergo solum agit in his libris in quantum movent cœ- los, & ad productionem rerum naturalium concu- runt, sicque secundariò tantum, non primariò; qua etiam ratione agitur hîc de Deo tanquam de primâ rerum omnium causâ & motore. Confirmatur, Physica in nulla sui parte agit per se de Angelis, sed eorum tractatio spectat ad Metaphysicam, ut pote quæ abstrahit à materiâ sensibili, cujus contrarium præstat Physica. Unde nec de corpore simplici, seu non constante materiâ & formâ (si quod detur hu- jusmodi) per se tractatur in his libris, cum tria hæc principia non admittat.

V. A quibus abstra- tur hoc corpus na- turale.

Dico tertio: hæc ratio corporis naturalis, quam dicimus subiectum esse Attributionis Physicæ, tam à corporibus incorruptibilibus abstrahitur, quam corruptibilibus. Probatur, hæc enim ratio corporis naturalis completi ex æquo convenit utrique. Deinde corpus hujusmodi incorruptibile est prin- cipium motûs & quietis, ergo.

VI. Omnia tria principia non debent singulis corporibus competere.

Dices, tria illa principia non competere cor- poribus incorruptibilibus, non enim ijs competit pri- vatio, cum forma quam habent corrumpi non pos- sit, ergo ad hunc tractatum non spectant. Admissio modò antecedente, nego consequentiam, non enim est necessarium ut omnia principia singulis cor- poribus naturalibus competant, sed omnibus: sicut in duabus præcognitionibus ad demonstrationem, quas ad eam requirit Aristoteles, nempe *an sit*, & *quid sit*, non est necessarium ut utrumque præcog- noscatur ad quamlibet demonstrationem, sed hoc ad unam, illud ad aliam; de passione enim non debet præcognosci *quod sit*, cum hoc probetur in conclu- sione sed solum præcognosci debet *quid sit*. Imò nec semper in omnibus rebz corruptibilibus reperitur privatio, ut si Deus hominem totum uno instante crearet, tam quoad materiâ, quam quoad formam eidem unitam ejus tamen consideratio ad physicam spectaret, esto in ejus productione nulla interveniat privatio.

VII.

Dico quartò: meliùs loquuntur qui asserunt sub- jectum Attributionis horum librorum esse *corpus*

naturale, quam qui dicunt esse *ens mobile*. Ratio est, quia vox *corpus* clariùs significat substantiam com- pletam quam *Ens*. Deinde initio horum librorum declaratur essentia & partes hujus corporis, & de eo postea probantur passionibus. Tertio, quia in defini- tionibus sumi debet genus infimum seu proximum, unde sicut mala esset definitio hominis si quis dice- ret, *Homo est ens rationale*, ita & corporis esset mala definitio, si quis sic illud definiret, *Corpus substan- tiale est ens mobile*. Denique ex parte differentia verbum *naturale* magis aptum ad essentiam corpo- ris definiendam videtur quam *mobile*, quod solum explicat passionem. Quod si quis dicat, idem se per *ens mobile* intelligere quod alij per *corpus naturale*, improprie saltem loquitur, sicut si quis hominem definiens diceret, *Homo est ens risibile*, licet per hæc verba idem se intelligere dicat, quod alij per *animal rationale*.

Hic tandem adverto, Objectum hujus tractatûs, VIII. seu octo librorum referri ad Cœlum & hominem, tanquam quid ad illorum constitutionem necessa- rium: unde hæc pars Physicæ illi subordinata est, quæ de cœlo agit, & illi quæ de homine, seu libris de cœlo, & Animæ. Utrum autem homo & cœlum inter se subordinentur, non leve est inter Philoso- phos dissidium. Et licet multos in eam præpendere partem videam ut existiment non subordinari, sic- que dicunt non dari unum aliquod objectum At- tributionis omnium partium Philosophiæ, sed un- num solum Aggregatione; contrarium tamen non difficulter defendi posse arbitror, si quis nimirum cœlum ad hominem tanquam ad objectum dignis- simum, & corpus naturale primarium referat. For- male verò Physicæ objectum est hoc ipsam corpus naturale ut naturale, seu ut principium motûs & quietis, seu alterationis sensu aliquo externo per- ceptibilis, hoc enim est quòd passim dicunt Philo- sophi, *Physicam non abstrahere à materiâ sensibili*.

SECTIO II.

De reliquis ad Physicam naturam declarandam præmittendis.

PRIMUM est, utrum Physica sit scientia? Resp. af- firmativè. Ratio est, quia procedit in pluribus conclusionibus scientificè, & passionibus de corpore naturali, proprietatibusque; plurimas demonstrat, ergo licet multas etiam habeat conclusiones solum probabiles, adhuc erit scientia, ægrè enim invenietur scientia cujus omnes conclusiones evidentes sint, & scientificæ.

SECUNDUM est, sitne scientia practica, an specu- lativa? Resp. communiter vocandam speculativam, esto enim actus aliquos habeat practicos, præcipui tamen sunt speculativi, & in merâ objecti sui con- templatione consistunt, quod primò cernitur in ijs actibus qui circa objectum ejus primarium seu At- tributionis versantur, ipsum scilicet corpus substan- tiale, illiusque partes essentielles, materiâ scilicet & formam. Unde cum præcipui illius actus, & confe- quenter habitus sint speculativi, communiter vo- canda erit speculativa, practica verò solum secun- dum quid, quia actus aliquos habet practicos, seu qui sufficienter ad dirigendum hominem ad aliquid faciendum: docet siquidem Physica attracto aère in tubo plumbeo sequi aquam ad evitandum vacuum, per quam cognitionem diriguntur homines ad a- quam anthrâ è profundo puteo hauriendam. Do- cet item ignem applicatum calefacere & combu- rere, & alia hujusmodi. Hi tamen forte actus si bene

examinentur, inveniuntur non esse propriè practici, sicut licet plantatio arboris sit practica, non tamen productio fructus. Recolenda quæ in Dialecticâ dixi de scientiâ practica & speculativâ d. 10. s. 1.

III. Est verò Physica, scientia ab alijs distincta, saltem in adæquate, cum objectum habeat inadæquate saltem ab alijs diversum. Est verò una, non specie sed genere, ob varios parciales tractatus quos instituit de rebus specie distinctis, ut de quantitate, motu,

ubi, vacuo, & similibus. Quare Physica non est unus habitus, sed ex varijs specie & genere distinctis coalescit. Denique medicina non est pars Physicæ, ut aliqui volunt, sed illi subordinata, ut pote à qua principia sua desumit, juxta commune illud dictum, ubi desinit Physicus, incipit Medicus, id est conclusiones physicas pro suis principijs sumit medicus. Unde de Physica respectu medicinæ est scientia subalternans, medicina respectu Physicæ subalternata.

Medicina subordinatur Physicæ.

DISPUTATIO II.

De principijs rerum naturalium.

Inter antiquos mira erat inter antiquos dissensio, alij quippe principium rerum ignem dicebant, alij aquam, & suo quisque arbitratu in novam abibat sententiâ. Pythagorici ad numeros omnia, ut ad principia reducebant, præcipuè denarium, tanquam numerorum omnium perfectissimum. Alij denique non unum aliquod esse rerum principium asseriebant, sed infinita. Aristoteles itaque his omnibus rejectis, suam tandem opinionem statuit, & nec unum solum esse rerum principium asserit, nec infinita, sed omnino tria, nec plura esse aut pauciora, materiam scilicet, formam, & privationem, de quibus præsens nobis instituenda disputatio.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Principium, & in quo differat à causâ.

I. Principium variè sumitur: primò enim principium idem sonat quod initium, idque sive auratione, quo sensu Aurora principium diei dici solet; vel ordine quodam consecutionis, ut primus palmus vel uncia principium ulnæ, punctum lineæ principium dicitur, id est, illud à quo inchoatur, & cujus proinde correlativum est finis; vel tandem sicut, ut fundamentum est principium domûs, quia sicut & collocazione est pars ejus infima.

II. Secundò, Principium dicitur unde fit aliquid, est, aut cognoscitur, ut ait Aristoteles, 5. Met. c. 1. quæ est latissima principij acceptio, & omni principiorum generi convenit. Sic præmissa dicuntur principia respectu conclusionis, sic ignis, & quicquid aliud efficit, vocatur illius principium: quo sensu Deus rerum omnium principium jure appellatur, ut pote à quo, tanquam à primâ causâ, radice, ac fonte esse suum omnia & originem derivant. Omnibus proinde principijs, tam effectivis quam constitutivis competit hæc definitio. Quo etiam sensu ait S. Thomas 1. p. q. 33. a. 1. corp. Principium est id à quo aliquid procedit quocumque modo, ubi, ut rectè advertit P. Suar. 12. Met. lect. 1. n. 12. verbum procedit non est sumendum strictè pro verâ origine, sed pro connexionne quacunque vel constitutione. Hoc modo sumptum principium latius patet quàm causa, quæ semper influit, non tamen semper influit principium, ut constat in Atrorâ respectu diei, ac privatione respectu eorum quæ in dies generantur. Ac proinde licet omnis causa sit principium, non tamen omne principium est causa.

III. Tertio, sumitur nonnunquam principium ut idem sit quod primum in aliquâ serie, & ab alio originem in eodem genere non ducat, quod proinde R. P. Th. Comprovis Philosophia.

duo involvit, positivum alterum, alterum negativum: sic Adamus principium dicitur hominum. Et hoc sensu latius patet causa quàm principium. cum causa hoc non exigat, ut constet. Re tamen verâ hæc principij acceptio non congruit omnibus principijs, ratio enim principij potius est esse prius, quàm primum: unde Noë, Abraham & alij erant principia multorum hominum, & non fuerunt primi. Primum ergo idem sonat ac principium omnium, quod omni principio non competit.

est primum in aliquâ serie.

Quid sit primum.

Notandum tamen, id quod est primum in uno genere, posse habere principium sui in alio: sic Adamus licet hominum omnium principium fuerit, ac parens, principium tamen sui habuit Deum. Imò in eodem genere quod est aliquibus posterius, est prius alijs, seu illorum principium, ut constat in Abrahamo, Davide, & alijs, qui licet respectu multorum hominum fuerint principium, homines tamen alios habuerant principium sui.

IV. Quod est primum in uno genere potest habere principium in alio.

Quod diximus conceptum principij esse ut sit prius illo cuius est principium, in creatis est indubitatum, in Divinis dissident Theologi, alij enim cum D. Thomâ nullam omnino admittunt in Divinis S. Thomas prioritatem, nec Patrem ullo modo esse priorem Filio asserunt, cum simul naturâ sint & cognitione, ut pote correlativa, licet S. Thomas 1. p. q. 42. a. 3. corp. & qu. 33. a. 1. ad 3. inter Divinas Personas ordinem originis concedat, omnem tamen ab ijs prioritatem secludendam asserit. Alij verò & plures ajunt non refugiendum inter Divinas Personas prioritatem quandam concedere originis, cum Pater verè prodocat Filium, Pater simul & Filius Spiritum Sanctum, sed negandum tantum asserunt prioritatem durationis & naturæ. At quæstio fermè est de nomine.

V. inter Divinas personas ordinem originis concedit, prioritatem negat.

Quarto, strictissimè sumitur principium pro eo à quo aliquid per se & physicè oritur, quo tamen sensu non semper recurrit cum causâ, Filius siquidem in Divinis verè oritur à Patre, Pater tamen illius causa non est, cum Filius in Divinis à Patre non dependeat, ut docent Theologi. Licet etiam Pater sit principium Filij, Filius tamen nunquam vocatur principium à Patre, quia principium sonat idem ac factum, vel quod habet initium essendi, ac proinde correlativum principij dici non debet principium, sed procedens à principio, quamvis si per principium nihil intelligatur aliud quam id quod procedit à principio, seu quod habet principium, dici potest principium correlativum principij.

VI. Principium proprie est à quo aliquid per se & physicè oritur.

Principia alia intrinseca, ut materia & forma, & quæcunque intrinsecè ullo modo, seu per unionem aliquam ad rei cujuscunque constitutionem concurrunt: alia extrinseca, ut causa finalis & efficiens respectu suorum effectuum.

VII. Principia intrinseca & extrinseca.